

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Gesammelte Schriften

Philologische Schriften

**Mommsen, Theodor**

**Berlin, 1909**

LIV. Carmen codicis Parisini 8084

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1925](#)

## LIV.

### Carmen codicis Parisini 8084.\*)

Carminis quod legitur in codice Parisino Lat. 8084 postquam 350  
versus quosdam protulerunt a. 1620 Salmasius<sup>1</sup> et a. 1757 Tassin et  
Toustain Maurini<sup>2</sup>, totum nuper edidit primus Leopoldus Delisle<sup>3</sup>,  
denuo recognovit ad ipsum codicem Carolus Morel<sup>4</sup>. repetivit inde  
Alexander Riese in anthologia Latina<sup>5</sup> egeruntque de eo praeter  
Morelium, qui diligentissimo et utilissimo commentario editionem  
ornavit, Italus Iohannes Baptista Rossius<sup>6</sup> et Anglus R. Ellis<sup>7</sup>. quo  
carmine non minus pio et Christiano quam inepto et barbaro cum  
nihilominus rerum Romanarum aetatis labentis neque vulgarium nec  
minimarum notitiam contineri intellexisse, lectionem autem a duobus  
viris supra laudatis diligenter quidem exceptam esse, sed tamen non  
ita satisfacere, ut detritarum et multis locis perforatarum membranarum  
iterata inspectio supervacanea fore videretur, familiari meo

\*) [Hermes 4, 1870, S. 350—364. Das Gedicht ist, seitdem Mommsen die Aufmerksamkeit darauf gelenkt hatte, oft besprochen worden. Die Literatur hat M. Schanz, Gesch. d. röm. Lit. IV 1, 1904, S. 200 f. zusammengestellt.]

1) Scilicet in annotatione ad vitam Caracallae c. 9 et ad Elagabali c. 7  
edidit v. 57—62 (inde Burmann anth. 1, 57; Meyer anth. n. 605) et v. 106—109  
(inde Burmann 1, 58; Meyer n. 606). [Die von Salmasius genommene Abschrift  
fand Baehrens in dem cod. Paris. 17904 wieder: vgl. Rhein. Mus. 32, 1877, S. 212.]

2) *Nouveau traité de diplomatique* vol. III p. 156 tab. 43 n. 1. ibi leguntur  
aere expressi v. 1—4.

3) *Bibliothèque de l'école des chartes*. Série 6. Tom. 3 (1867) p. 297 seq.  
principium idem edidit in actis menstruis academiae Berolinensis a. 1867 p. 526.

4) *Revue archéologique* 1868 m. Jun. et Iul. = *recherches sur un poème  
latin du IV<sup>e</sup> siècle*. Parisii 1868. 8. pp. 23. adde eiusdem observationes *Revue  
critique d'histoire et de littérature* a. 1869 p. 300 seq.

5) Fasc. 1 p. 13 seq. [20 seq. ed. 2] cf. praef. p. XI.

6) *Bullettino di archeologia cristiana* 1868 p. 49—58. 61—75. Rossius  
codicem quoque inspexit et quaedam inde emendavit.

7) *Journal of philology* vol. 2 p. 66—80.

Paulo Kruegero, nuper antequam Parisios proficeretur officiose  
adeunti me quaerentique, si quid vellem ibi mihi curari, respondi  
gratam rem eum mihi facturum esse, si breve carmen denuo recog-  
nosceret. quod ille cum suscepisset, paullo post praestitit quaeque  
accepta recognitione eius dubia mihi subnata essent, codice resumpto  
omnia solvit. hac autem recognitione quid effectum sit, quot locis  
351 errores emendati sint et hiatus expleti, intellegent qui hanc carminis  
recensionem cum antea editis component. nos satis habuimus veram  
et plenam lectionem repraesentasse suppressis mendis, quarum com-  
memoratio non solum utilitatem nullam habitura fuisse, postquam  
quae posuerunt priores omnia in re praesenti examine instituto aut  
comprobata sunt aut reiecta, sed etiam nisi re certe specie in exagi-  
tationem abiisset optimorum peritissimorumque virorum, qui si qua  
erraverunt, indignabuntur fortasse imperiti et tirones, at facile excus-  
abunt, qui quam arduum sit in tali re non errare longo usu didi-  
cerunt.

Nactus itaque plenam et certam codicis notitiam carmen vel sic  
difficillimum (nam et multis locis librarius peccavit et poeta ipse  
sensus imperfecte et implicate expressit saepissimeque ad res alludit  
quotidianis suae aetatis sermonibus magis quam rerum notitia cele-  
bratas hodieque plane obscuratas) cum intellegarem a me satis per-  
poliri et emendari non posse, Kruegeri schedas tradidi Mauricio  
Hauptio, qui cum eiusdem generis multa insperato sanaverit, insana-  
bilibus quoque, ut fieri solet, et paene desperatis opem ferre posse  
creditur. is carmen ita ut infra scriptum est constituit. deprecatur  
tamen, ne putetur aut opinionibus suis probabilitatem attribuere  
eandem omnibus aut tutam existimare emendationem carminis non  
libreriorum tantum, sed ipsius etiam auctoris culpa obscuri quodque  
poetam referat ineptum sententiis, sermone rudem, versuum facien-  
dorum syllabarumque metiendarum imperitum. sed ut dubia rema-  
neant non pauca et, ut fit, ea praesertim, quae propter rerum notitiam  
maxime velles elucidata, tamen etiam hoc nomine aliquantum pro-  
fectum esse hac quam edimus recensione intellegent eruditi. qui ut  
libenter legent carmen nisi bonum, certe memorabile et quod nunc  
demum ita prodeat, ut non continuo offendas, ita fortasse quaerent,  
qui fiat, ut a me potissimum id accipient, cuius nullum in ea re  
meritum est nisi fortasse suasoris. nam rerum explicationem in  
summa re preecepit Morelius auxitque Rossius, qui quae posuerunt,  
paucis exceptis mihi quoque probantur; minora autem persequi sin-  
gillatim nec placet nec mei officii est, qui ab Isiacis similibusque  
tam abhorream quam liceat epigraphiae rei studioso. habebunt

igitur qui haec percurrent lectionem Kruegeri, recognitionem Hauptii, interpretationem Morelii, quarum omnium mihi non restat nisi praeconum. sed quoniam amici ita voluerunt, malui morem iis gerere et officio isto minime splendido fungi, quam bona litterarum subsidia aut perire sinere aut certe latere.

Sequitur codicis descriptio Pauli Kruegeri.

352

„Continet codex olim Puteanus, nunc Parisiensis Lat. 8084 carmina Aurelii Prudentii Clementis scripta litteris quadratis simillimis eis, quibus Plautus Ambrosianus et Vergilius Laurentianus exarati sunt. initio carminum in margine metrum adnotatur litteris semiuncialibus inclinatis ita nitidis, ut hominis non cuiusvis, sed eius qui scribendi arti se dederit esse videantur. eadem ut videtur manus in fine Cathemerinon folio 45 recto, quod scriptura paene vacat, in media pagina haec scripsit edita primum a Maurinis<sup>1</sup>:

† UETTIUS AGORIUS BASILIUS

Tres primae litterae quamquam incertae sunt, tamen satis intellegitur et probe intellexit Delislius nominari hic Mavortium consulem a. p. Chr. 527 notum cum aliunde tum ex subscriptione librorum Horatianorum<sup>2</sup>:

UETTIUS AGORIUS BASILIUS MAUORTIUS U. C. ET INL. EX COM. DOM.  
EX CONS. ORD. LEGI ET UT POTUI EMENDAUI CONFERENTE MIHI  
MAGISTRO FELICE ORATORE URBIS ROMAE

utrum autem Mavortius ipse ita simpliciter nomen suum ac ne id quidem integrum carminibus Prudentianis subscriperit, quod visum est Delislio, an librarius subscriptionem imperfecte repetiverit<sup>3</sup>, certo diiudicari non potest. codicem autem saeculo sexto recentiorem

1) L. c. tab. 46 n. 2 cf. p. 208.

2) Cf. Jahn in actis soc. Saxonicae 1851, 363 et Rossi inscr. chr. I p. 460. [Lommatzsch, Z. f. vergl. Litt.-Gesch. 15, S. 177.]

3) Mihi opinio haec sola probatur. nam in ipso libro Parisino nullo tempore subscriptio ea de qua agitur plenior fuit quam adhuc cernitur, nec potuit Mavortius ita libro subscribere, ut nomina secundaria poneret primario omisso. quare qui autographum eius ibi agnoscunt, iis eo configiendum est, ut Mavortius inter scribendum interpellatus nomen non perscripserit; quae defensio quam sit infirma, appareat. immo librarius aliquis nactus exemplum Prudentii a Mavortio recognitum cum ipsius subscriptione vetustate maiore ex parte abolita quod inde dispicere posset in librum hodie Parisinum rettulit. unde hunc intellegimus recognitum esse post annum p. Chr. 527. quod autem posuit Delislius probavitque Rossius codicem Parisinum scriptum esse auctore vivo, id est saeculo quarto, non perspicio quomodo inde effecerint. sit sane saeculi quarti, quoniam in hac parte palaeographiae probationibus deficientibus quisquis pro lubitu asseveratione uti solet; sed quid ad eam rem, quod adnotatus est aut saeculo Iustiniano aut post id saeculum? TH. M.

esse veri simile non est: mirorque praeter Nicolaum Heinsium neminem editorum hunc librum omnium Prudentianorum qui supersunt veterimum atque optimum excussisse<sup>1</sup>.

354 „Constat ex viginti compagibus, quae quamquam numerantur tripartito, ut f. 1—14 quaternionibus comprehendantur I—VI, f. 45—123 quaternionibus I—X, f. 124—155 quaternionibus I—III, tamen cum carmina tam a f. 44' ad f. 45 quam a f. 123' ad f. 124 continentur, non tres sunt codices in idem volumen compacti, sed placuit librario quaterniones non continuo ordine numerare.

„Continet codex hymnos cathemerinon, apotheosin, hamartigeniam, psychomachiam, hymnos quinque peristephanon deficitque in v. 142 hymni quinti.

„Sequuntur tria folia eiusdem membranae eiusdemque formae, scripturae tamen prorsus diversae, quae utrum ab initio an postea Prudentio adiecta sint dici nequit. carmen quod sine ulla inscriptione in iis exstat, scriptum est litteris semiuncialibus elegantissimis, quae non multum differunt ab iis quas videmus in fragmento Veronensi de iure fisci et Neapolitano digestorum<sup>2</sup>. paginae quinque primae vicenos singulos versus habent<sup>3</sup>, sexta cum non tota scripta sit, tantummodo septendecim. compendia scripturae non occurunt nisi duo: u. 71 BACCHIQ. et v. 78 XPICOLAS. in fine versuum bis ligaturis usus est librarius (v. 106 in ae, v. 118 in us); ubi necesse fuit litteris minutis versum explevit.

„Primum folium integrum, secundi recta, tertii versa pagina facilime leguntur: in secundi autem versa et tertii recta (f. 157<sup>b</sup>. 158<sup>a</sup>) litterae partim exesae partim evanidae eo difficilius distinguuntur, quod alterius paginae scriptura perlucet. quam difficultatem ita evitavi, ut inclinato ad oculos libro non tam atramenti reliquias investigarem quam sequerer ductus litterarum, qui etiam ubi atramentum decidit, coloris diversitate membrana ibi offuscata a reliqua superficie distinguuntur. ita factum est, ut exceptis paucis litteris quae membrana perforata perierunt, iam nulla supersit, de qua non constet“.

Hactenus Kruegerus. ipsum carmen Hauptius sic constituit, ut quid in codice dispici possit accurate ubique aut in ipsis versibus scriptum aut infra adnotatum sit.\*)

1) Quod v. d. Dressel (praef. p. XXIV) monet omnes quos viderit codices vetustos et variis lectionibus et glossis instructos esse, in Puteanum non quadrat. Cf. eundem p. XXXVIII.

2) Specimen scripturae dederunt Maurini (v. p. 350 not. 2 [485, 2]).

3) Prudentii liber in singulis paginis habet versus vicenos.

\*) [Beiträge zur Kritik seit der vorliegenden Ausgabe verzeichnet Schanz

Dicite qui colitis lucos antrumque Sibyllae      156<sup>a</sup>      354  
 Idaeumque nemus, Capitolia celsa Tonantis,  
 Palladium Priamique Lares Vestaeque sacellum  
 incestosque deos, nuptam cum fratre sororem,  
 5      immitem puerum, Veneris monumenta nefandae,  
 purpurea quos sola facit praetexta sacratos,  
 quis numquam uerum Phoebi cortina locuta est,  
 Etruscus ludit semper quos uanus aruspex,  
 Iuppiter hic uester, Ledae superatus amore,  
 10     fingeret ut eyenum uoluit canescere pluma?  
 perditus ad Danaen fluerset subito aureus imber?  
 per freta Parthenopes taurus mugiret adulter?  
 haee sic monstra placent nulla sacrata pudica?  
 pellitur arma Iouis fugiens regnator Olympi,  
 15     et quisquam supplex ueneratur templa tyranni,  
 cum patrem uideat nato cogente fugatum?  
 postremum, regitur fato si Iuppiter ipse,  
 quid prodest miseris perituras fundere uoces?  
 plangitur in templis iuuenis formonsus Adonis,  
 20     nuda Venus deflet, gaudet Mauortius heros,  
 Iuppiter in medium nescit finire querellas  
 iurgantesque deos stimulat Bellona flagello.      156<sup>b</sup>  
 conuenit his ducibus proceres sperare salutem  
 sacratis? uestras liceat conponere lites?  
 25     dicite, praefectus uester quid profuit urbi,  
 quem Iouis ad solium raptum tractatus abisset,

a. a. O. (Dazu kommen noch Useners Bemerkungen im Anecdoton Holderi, Bonn 1877, S. 36.) Sie sind hier nur berücksichtigt worden, insoweit sie thatsächliche Versehen berichtigt haben. Die Nachweise von Imitationen älterer Dichter sind sehr vervollständigt worden u. a. von M. Ihm, Rhein. Mus. 52, 1897, S. 209 f. Einen ausführlichen Kommentar gibt Seefelder im Programm des Realgymn. in Gmünd 1901.]

*C codex Parisinus 8084. quae nullo auctore memorato correcta sunt debentur pleraque Delishio. | 1. sybillae C. | 2. ideumque C. Aen. III 112 Idaeumque nemus. | 5. nefandae Haupt: nefanda C. Aen. VI 26 Veneris monumenta nefandae. | 7. uirum C. | curtina C. Aen. VI 347 Phoebi cortina. | 10. cycnum C. | 11. danain C. | 12. parthenopis C. | mugire<sup>t</sup> C. | 13. sic Haupt: si C. | nullo sacrata pudore Riese. | 16. sogente C. | 19. Buc. X 18 formosus — Adonis. | 22. Aen. VIII 703 Bellona flagello. | 24. Buc. III 108 conponere lites. [Das 2<sup>te</sup> Fragezeichen hinzugefügt von J. Machly, Z. f. d. östr. Gymn. 1871 S. 585.] | 25. urbii C. | 26. quom Iouis ad solium raptum trabeatus adisset Haupt, et trabeatus iam Morel. quom Iouis ad solium raptim tractatus abisset Ellis. qui Iouis ad solium raptus tractatus abisset de Rossi. Aen. XII 849 Iouis ad solium.*

cum poenas scelerum tracta uix morte rependat?  
 mensibus iste tribus totum qui concitus orbem  
 lustrauit metas tandem peruenit ad aeui.  
 355      30    quae fuit haec rabies animi, quae insania mentis?  
               sed Iouis uestram posset turbare quietem.  
               quis tibi iustum incussit, pulcerrima Roma,  
               ad saga confugerent, populus quae non habet olim?  
               sed fuit in terris nullus sacerdior illo,  
 35      35    quem Numa Pompilius, e multis primus aruspex,  
               edocuit uano ritu pecudumque cruento  
               polluit (insanum) bustis putentibus aras.  
               non ipse est uinum patriae qui prodidit olim  
               antiquasque domus, turres ac tecta priorum  
 40      40    subuertens, urbi uellet cum inferre ruinam,  
               ornaret lauro postes, coniuia daret,  
               pollutos panes, infectos ture uaporos  
               poneret, in risum quaerens quos dederet morti,      157<sup>a</sup>  
               collaribus subito membra circumdare suetus,  
 45      45    fraude noua semper miseros profanare paratus?  
               sacratus uester urbi quid praestitit? oro.  
               qui hierium docuit sub terra quaerere solem;  
               cum sibi forte pirum fossor de rure dolasset,  
               diceret esse deum comitem Bacchique magistrum;  
 50      50    Sarapidis cultor, Etruscis semper amicus,  
               fundere qui incautis studuit concepta uenena,  
               mille nocendi uias, totidem conquereret artes,  
               perdere quos uoluit percussit luridus anguis,  
               contra deum uerum frustra bellare paratus,  
 55      55    qui tacitus semper lugeret tempora pacis,

27. poena C. | 28. totum certo C. | orbem Mommsen: urbem C. | 29. lustrauis  
 aetas C. Aen. X 472 metasque dati peruenit ad aeui. | 30. q̄ue insania C. |  
 31. ioui C: nominatiuum requiri uidit Morel. | 36. paecudumque C. | 37.  
 polluere Morel. | busti C. | 38. uenum patriam Haupt: tradita uenum castra  
 Lucanus IV 206. | 39. antiquaque C. | turres a tecta C. | 41. adiret Ellis. sed  
 dedisse coniuia ille multo hic rectius dicitur quam adiisse, neque mutanda sunt  
 in hoc carmine quae nulla alia re quam numerorum uitio displicant. | 42. infectious  
 C. | 43 quos Haupt, dederet Delisle: quodedere C. | 44. collaribus Haupt: galla-  
 ribus C. | suetus Haupt: subitus C. | 47. quid C. [ | hibernum Usener; s. u.  
 S. 494\*] | 48. pyrum C. | 49. diceret Ellis: diceretque C. | bhaccique deleto h  
 post b C. | ministrum Haupt, Priapum intellegens. | 51. concerta C. contrita  
 Haupt, ut trita uenena saepius dicuntur. [concepta erweist Ihm a. a. O. 211 als  
 richtige Emendation von Delisle] | 52. conquereret C. | 53. percussit C.

nec proprium interius posset vulgare dolorem?  
 quis tibi taurobolus uestem mutare suasit,  
 inflatus diues subito mendicus ut esses.  
 obsitus et pannis, modica stipe factus epaeta,  
<sup>60</sup> sub terram missus, pollutus sanguine tauri,  
 sordidus, infectus, uestes seruare cruentas,  
 uiuere cum speras uiginti mundus in annis?  
 abieras, censor meliorum caedere uitam,  
 hinc tua confisus possent quod facta latere,      157<sup>b</sup>  
<sup>65</sup> cum canibus Megales semper circumdatus esses,  
 quem lasciuia cohors (monstrum) comitaret ouantem.  
 sexaginta senex annis durauit efebus,  
 Saturni cultor, Bellonae semper amicus,  
 qui cunctis Faunosque deos persuaserat esse  
<sup>70</sup> Egeriae nymphae comites Satyrosque Panasque,  
 nympharum Bacchique comes Triuiaeque sacerdos;  
 quem lustrare choros ac molles sumere thyrsos,  
 cymbala, quae inbuerat quatere Berecyntia mater,  
 quis Galatea potens iussit Ioue prosata summo,  
<sup>75</sup> iudicio Paridis pulerum sortita decorum?  
 sacrato liceat nulli seruare pudorem,  
 frangere cum uocem soleant Megalensibus actis.  
 christicolas multos uoluit sic perdere demens,  
 qui uellent sine lege mori, donaret honores  
<sup>80</sup> oblitosque sui caperet quos daemonis arte,  
 munericibus cupiens quorundam frangere mentes  
 aut alios facere parua mercede profanos

56. nec *de Rossi*: ne C. | 57—62 protulit *Salmasius* in *Lampridii Heliog.*  
 c. 7. | 59. modicastepefactusepeta C: correxit *Morel*. | 60. terra C. | 62. annis,  
 non annos, C, i fere certo, s non plane perspicuo. | 63. [ambieras *Usener*] | caedere  
*Ellis*: cedere C. | 64. facta certo C. | 65. Megales semper *Morel*: magalis semper  
 C. | 66. lasciuia cohors *Haupt*: laciuia (u incerto) corum C. [S. *Ihm a. a. O.*] |  
 comitarecouantem C: correxit *Morel*. | 67. efebus C. | 68. saturni, solo s non plane  
 perspicuo, C. | bellonae certo C. | 69. quietis faunosque certo C. | 70. egaeriae  
 nymphae C. | saturosque poenasque C. | 71. bacchiq. comae triuiaeque C. *Petroneius*,  
 quem *Morel* indicauit, c. 133 nympharum Bacchique comes. *Aen.* VI 35  
 Triuiaeque sacerdos. | 72. quem, non cum, C, quantum dispicitur, | lustrare thoros  
 ac moles sumere thyrcos C: correxit *Riese*. *Aen.* VII 390 molles tibi sumere  
 thyrsos, Te lustrare choro. | 73. cymbala non prorsus certis m et b C. | quae  
*Haupt*: quem C. [„nothwendig ‘cymbala quem inbuerat’ etc.“ *Usener*] | berecyntia  
 C. *Aen.* VI 784 Berecyntia mater. | 75. paridis non prorsus certo p C. | 78. xpicolas  
 C. | 80. oblitosque sui C. oblitosque dei *Riese* | demonis C. | 82. aut non prorsus  
 certo t C.

- 357                    mittereque inferias miseros sub Tartara secum:  
                        soluere qui uoluit pia foedera leges,  
                        85 Leucadium fecit fundos curaret Afrorum,  
                        perdere Marcianum, sibi proconsul ut esset.  
                        quid tibi diua Paphi custos, quid pronuba Iuno  
                        Saturnusque senex potuit praestare sacrato?  
                        quid tibi Neptuni promisit fuscina, demens?  
                        90 reddere quas potuit sortes Tritonia uirgo?  
                        die mihi, Sarapidis templum cur nocte petebas?  
                        quid tibi Mercurius fallax promisit eunti?  
                        quid prodest coluisse Lares Ianumque bifrontem?  
                        quid tibi Terra parens, mater formonsa deorum,  
                        95 quid tibi sacrato placuit latrator Anubis,  
                        quid miseranda Ceres, subter Proserpina mater,  
                        quid tibi Vulcanus claudus, pede debilis uno?  
                        quis te plangentem non risit, caluus ad aras  
                        sistiferam Phariam supplex cum forte rogar es  
                        100 cumque Osirim miserum lugens latrator Anubis  
                        quaereret inuentum rursum quem perdere posset,  
                        post lacrimas ramum fractum portaret oliuae?  
                        uidimus argento facto iuga ferre leones,  
                        ligneum cum traherent iuncti stridentia plausta,  
                        105 dextra laeuaque istum argentea frena tenere,  
                        egregios proceres currum seruare Cybebae,      158<sup>b</sup>  
                        quem traheret conducta manus Megalensibus actis,  
                        arboris excisae truncum portare per urbem,  
                        358 Attin castratum subito praedicere Solem.

83. **MITTÈRÈQ\*INFÈRIAS** *C*, neque littera quae ante Γ non satis dispici potuit N fuisse uidebatur Kruegero. tamen puto scriptum fuisse **MITTÈRÈQ. INFÈRIAS.** | 84. qui Haupt: quis, minus perspicuis qui litteris, *C*. | uersus refici potest complemento eiusmodi, sanctas, pia foedera, leges. | 86. mācianum *C*. | ut esse, tribus postremis litteris non satis perspicuis, perforata post ultimam membrana, *C*. | 87. diua Paphi Haupt: diaphafus *C*. [Paphu Baehrens] | Iuno Riese: foramine absumptum in *C*. | 91. pēbas *C*. | 95. Aen. VIII 698 latrator Anubis. | 96. miserande cāeris subteſ *C*. [miserande (so mit C Usener), Ceres mater, Proserpina subter Maehly a. a. O. S. 589.] | 97. Aen. V 271 debilis uno. Minucius Felix, quem Ellis indicauit, c. 225 Vulcanus, claudus deus et debilis. | 99. fariam *C*. | 100. cumq. ossyrim *C*. | lugens Mommsen: lugis *C*. | 101. perdere posset (posset minoribus litteris) *C*. | Minucius Felix, quem de Rossi et Ellis indicarunt, c. 221 mox inuento paruulo gaudet Isis, exultant sacerdotes, cynocephalus inuentor gloriatur, nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inueniunt vel inuenire quod perdunt. | 105. leuaque situm *C*. | 106—109. protulit Salmasius. | 106. aegregios *C*. | cirillae *C*. Cybellae Salmasius. | 107. quem incerto e *C*. | trahere *C*. | 108. arboribus *C*.

- 110 artibus heu magicis procerum dum quaeris honores,  
sic, miserande, iaces paruo donatus sepulcro.  
sola tamen gaudet meretrix te consule Flora,  
ludorum turpis genetrix Venerisque magistra,  
conposuit templum nuper cui Symmachus heres.  
115 omnia quae in templis positus tot monstra colebas  
ipsa mola manibus coniunx altaria supplex  
dum cumulat donis uotaque in limine templi  
soluere dis deabusque parat superisque minatur  
carminibus magicis cupiens Acheronta mouere,  
120 praecipitem inferias miserum sub Tartara misit.  
desine post hydropem talem deflere maritum,  
de Ioue qui Latio uoluit sperare salutem.

Invehitur poeta in sacratos<sup>1</sup> viros id est proceres antiquae religionis adversus Christianam sectam ultimos vindices quales fuerunt Vettius Agorius Praetextatus († cos. des. a. 385) et Aurelius Symmachus (cos. a. 391) et Virius Nicomachus Flavianus (cos. a. 394) principes suaे aetatis senatus Romani et tam in litteris quam in re publica clari. nam haec ipsa tempora, quibus ita luctabantur vetustarum caerimoniarum cultores cum ritu externo, ut iam desperarent, cum universum carmen clare indicat tum inde confirmatur diserte, quod v. 114 *Symmachus heres* aedem Florae dicitur restituisse. intellegitur enim omnino aut is, quem modo nominavimus, Q. Aurelius Avianus Symmachus orator consul a. 391 aut filius eius Q. Fabius Memmius Symmachus praef. urbi a. 419. utrum eorum poeta respiciat, ex ipso carmine non eluet;\*) nec de aedis Florae, eius opinor quae fuit in circa<sup>2</sup>, restitutione facta aetate labente quicquam praeterea traditur. — Ut ex Symmachi nomine de aetate carminis certa

110. heu *Riese*: seu C. | quaeres C. | 111. iacis C. | 114. symmacus C. |  
116. molat C. *Vergilius*, quem *Ellis* indicauit, *Aen.* IV 517 ipsa mola manibusque  
piis altaria iuxta. | coniunx C. | 117. comulat C. | limina C. | 118. diis C. | minatus,  
coniunctis us litteris, C. | 119. aceronta C. *Aen.* VII 312 flectere si nequeo superos,  
Acheronta mouebo. | 121. ydropem C.

1) Eodem vocabulo notabile est tam Praetextatum quam coniugem eius  
insigniri in titulo Donat. 72, 2 [C. I. L. VI, 1779 = Dessau 1259], ubi ille dicitur  
*sacratus Libero et Eleusiniis*, haec *sacrata Cereri et Eleusiniis*, *sacrata apud*  
*Eginam Hecatae*.

\*) [Nach Seeck, Symmachus praef. p. CXIX war es der Vater.]

2) Becker top. I, 472. neque enim hac excepta certa memoria ullius ad nos  
peruenit aedis ei numini in urbe dedicatae. [Vgl. Wissowa, Relig. u. Kultus  
d. Röm. S. 164.]

359 coniectura capi non potest, ita multo minus certi quicquam colligitur ex eo, quod item nominantur ibi v. 85 *Leucadius* et v. 86 *Marcianus*, quorum hic videtur proconsul fuisse Africae, ille primum rationalis in Africa<sup>1</sup>, deinde in supra dicti proconsulis locum substitutus. *Leucadius*, praeses nescio cuius provinciae dioecesis ut videtur Galliarum, quod a partibus Gratiani († 383) stetisset, eo imperfecto apud Maximum (383—388) accusatus<sup>2</sup> potest idem esse, cum praesertim vocabulum infrequens sit. *Marciani* cum plures nominentur, invenitur eadem aetate eius nominis vicarius (Italiae fortasse) a. 384<sup>3</sup>, is ipse fortasse, ad quem epistulas complures Symmachus dedit<sup>4</sup> quemque amico commendat<sup>5</sup> utpote *optimum virum*, sed *invidia tyrannici temporis involutum*, scilicet aut sub Maximo aut sub Eugenio. — Denique v. 47 coniecit Rossius induci *Hierium* aliquem sub terra Solem quaerentem, id est Mithrae sacrificantem. quae coniectura de loco interpretationis paene desperatae si proba est nec praeferrenda, quam equidem praferendam esse iudico, Hauptii interpretatio in *hierium latere ἱερά*, illius nominis viri praesto sunt orator urbis Romae saec. IV exeunte, cui Augustinus adulescens libros quosdam inscripsit<sup>6</sup>, item vicarius Africae a. 395<sup>7</sup> et fortasse ab eo non diversus consul ordinarius a. 427.\* hi sunt qui in carmine nominantur nominative videntur.

Sed ut ex disquisitione hac de nominatis a poeta personis non auferas nisi opinionem ambiguam et parum firmam, ita alia proferruntur de adversariorum principe quodam, qui cum non nominetur, quae de eo enuntiantur vel certe videntur enuntiari (nam multa ambigua sunt nec plane certum est eundem ubivis significari), haec sunt:

1) Verbis *Leucadium fecit fundos curaret Afrorum innuitur sine dubio rationalis rei privatae fundorum domus divinae per Africam* (Not. dign. occ. p. 53 [p. 155 Seeck]). ceterum quae de utroque magistratu significare voluit poeta, propter infantiam eius parum assequimur. Rossius comma ita cum praecedentibus conectit ut Flavianus arguatur asseclarum apostasiam remunerasse magistratibus in eos collatis; quod si verum est, in Leucadium tantum convenit, non item in Marcianum.

2) Sulpicius Severus dial. 2 (3), 11, 8 Halm. Monuit de eo Morel.

3) C. Th. 9, 38, 7.

4) l. 8 ep. 9. 23. 53 [54]. 58. 73. [Vgl. Seeck p. CXCII.]

5) l. 3 ep. 33.

6) Augustinus conf. 4, 14. Cf. Suidas s. v. *Παυποέπιος*.

7) C. Th. 16, 2, 29.

\*) [Useners Emendation *hibernum* ist von Cumont, Textes et monuments ... de Mithra II, 1896, S. 52 als richtig anerkannt worden.]

1. Praefectus dicitur v. 25 fueruntque sub eo tam Roma quam 360 Africa (v. 85. 86), cuius adeo proconsulem mutandum curavit. Fuit igitur praefectus praetorio Italiae Illyrici Africæ.

2. Consul dicitur v. 112, quo item pertinet *trabeati* epithetum v. 26 a Morelio felici coniectura recuperatum.

3. Motus eo tempore fuit in Italia tam gravis, ut tumultu Romæ indicto plebs urbana ad arma vocaretur<sup>1</sup>.

4. Cum per tres menses is de quo agitur in itinere bellove fuisset, periit morte violenta (v. 26 seq.) habuitque parvum sepulcrum (v. 111).

5. Heres quod dicitur Symmachus v. 114 quamquam potest ad aliam quamlibet hereditatem referri, tamen probabilius est heredem eum dici ipsius illius viri, in quem toto carmine invehitur poeta, ut cum bonis etiam impii cultus hereditatem crevisse insimuletur<sup>2</sup>.

Haec omnia convenient in Flavianum eum, quem supra nominavimus.\* Primum quae ex caede Valentiniani II († 15. Mai. 392) originem cepit seditio Eugeniana adversus Theodosium ita gentilium motus fuit adversus sectam Christianam, ut paganorum dux et princeps esset non Eugenius imperator, ipse Christianæ fidei addictus, sed Flavianus<sup>3</sup>. Quo tetenderint qui turbas eas concitarant, inter

1) Tumultus indicendi vetusta consuetudo accurate enuntiatur v. 32. 33: *quis tibi iustitium incussit, pulcrrima Roma, ad saga confugerent, populus quae non habet olim?* Cf. Cicero Philipp. 5, 12, 32: *rem . . . confessim gerendam censeo: tumultum decerni, iustitium edici, saga sumi dico oportere.* item adhibe quae Victor Caes. 40, 25 de Constantino Magno scribit: *praetoriae legiones ac subsidia factionibus aptiora quam urbi Romæ sublata penitus, simul arma atque usus indumenti militaris.*

2) Conferendus titulus est nuper Romæ repertus, quem qui edidit Henzenus (Bullett. 1868 p. 90 [C. I. L. VI, 754 = Dessau 4269 = C. L. E. 265 Bücheler]), demonstravit scriptum esse inter a. fere 382 et 391, ubi Tamesius Augentius Olympius avi exemplum secutus sumptibus suis antrum Mithrae restituisse se praedicat sic finiens: *damna piis meliora lucro: quis ditior illo est, qui cum caelis parcus bona dividit heres?*

\* [Vgl. über ihn Seeck, Symmachus, praef. S. CXII ff.]

3) Rufinus Aquileiensis hist. eccl. 2, 33: *pagani . . . innovare sacrificia et Romam funestis victimis cruentare, inspicere exta pecudum et ex fibrarum prae-scientia securam Eugenio victoriam nuntiare, superstitionis haec agente et cum omni animositate Flaviano tunc praefecto, cuius adsertionibus (magna enim erat eius in sapientia praerogativa) Eugenium victorem fore pro certo praesumpserant.* Sozomenus hist. eccl. 7, 22: *φέτο δὲ (Eugenius) τοῦ ἐπιχειρήματος ἀσφαλῶς προτίθεσιν, ἵπαγόμενος λόγοις ἀνθρώπων εἰδέναι τὸ μέλλον ὑποχρονμένον σφαγίοις τοῖς καὶ ἡπατοσκοπίαις καὶ καταλήψει ἀστέρων· ἐσπούδαζον δὲ περὶ ταῦτα ἄλλοι τε πολλοὶ τῶν ἐν τέλει Ρωματῶν καὶ Φλαβιανὸς δύτοις ὑπαρχος, ἀνὴρ ἐλλόγυμος καὶ περὶ τὰ πολιτικὰ ἔχεφρων εἶναι δοκῶν, προσέπτι δὲ καὶ τὰ μέλλοντα ἀκριβοῦντος λογιζόμενος ἐπιστήμην*

alia declarant *Iovis simulacra* a Theodosii adversariis *nescio quibus ritibus consecrata et in Alpibus constituta*, quorum post victoriam 361 *fulmina aurea cursoribus*, et se ab eis *fulminari velle dicentibus*, Theodosius *hilariter benigneque donavit*<sup>1</sup>; item quod Victoriae ara in curia restituta est redditusque templorum caerimonialis redditi intercedentibus apud Eugenium Arbogaste et Flaviano<sup>2</sup>. — Romae appropinquante Theodosio secundum antiquam consuetudinem tumultum edictum esse etsi nemo praeterea memoriae tradidit, tamen recte convenit huic extremae vetustarum caerimoniarum adversus novicias pugnae. — Flavianum denique constat cum ex auctoribus tum ex titulis sub Eugenio et praefecturam praetorii Italiae sustinuisse<sup>3</sup> et a. 394 consulatum ordinarium suscepisse, deinde vere eiusdem anni profectum adversus Theodosium ad Italiā tendentem in bello eo periisse<sup>4</sup>. De genere temporeque mortis quamquam parum accu- 362 rate auctores rettulerunt, tamen quae accepimus cum carmine facile

παντοδαπῆς μαρτεῖς. ταῦτη γὰρ μάλιστα τὸν Εὐγένιον ἔπεισε εἰς πόλεμον παρα- σκευάσσονται, μοιόδιον εἴναι ἀντὶ τὴν βασιλεῖαν ἰσχυρόζουμενος καὶ νίκην ἐπὶ τῇ μάχῃ συμβήσεσθαι καὶ μεταβολὴν τῆς Χριστιανῶν θρησκείας.

1) Augustinus de civ. dei 5, 26, 1.

2) Paulinus in vita S. Ambrosii c. 26 (opp. Ambrosii app. p. VII ed. Maur.): *Eugenius . . . potentibus Flaviano tunc praefecto et Arbogaste comite aram Victoriae et sumptus caerimoniarum, quod Valentinianus . . . potentibus denegaverat, oblitus fidei suae concessit.* Ambrosius in epistula ad Eugenium (n. 57 opp. 2 p. 1012 ed. Maur.): *donata illa praecellentibus in re publica, sed gentilis observantiae viris: et fortasse dicatur, imperator Auguste, quia ipse non templis reddideris, sed bene meritis de te donaveris.* et post alia: *petierunt legati ut templis redderes: non fecisti. iterum alteri postulaverunt: renisus es. et postea ipsis, qui petiere, donandum putasti.*

3) Orelli 1188. 5593 [C. I. L. VI, 1782. 1783 = Dessau 2947. 2948]; in hac diserte dicitur *praef. praet. Ital. Illyr. et Afric. iterum. Africa quamquam eo tempore sub Gildone fuit, qui totum se Eugenio non commisit, tamen nihil obstat, quominus Flavianus quaedam ibi egerit. verba sibi proconsul ut esset possunt ferri, quamquam proconsul Africæ proprie non fuit sub praefecto praetorio; nec necessarium est scribere ibi.*

4) Paulinus l. c. c. 31: *promiserant Arbogastes tunc comes et Flavianus praefectus Mediolano egredientes, cum victores reversi fuissent, stabulum se esse facturos in basilica ecclesiae Mediolanensis atque clericos sub armis probaturos.* Rufinus hist. eccl. 2, 33: *ubi . . . Theodosius Alpium fauces coepit urgere, primi illi . . . daemones in fugam versi, post etiam magistri (immo ministri) horum et doctores errorum: praecipue Flavianus plus pudoris quam sceleris reus cum potuisset evadere, eruditus admodum vir mereri se mortem pro errore iustius quam pro crimine iudicavit.* Theodosii imperatoris nepotes in epistula ad senatum Romanum (Orell. 5593 [C. I. L. VI, 1783 = Dessau 2948]) sic scribunt de avi sui frustrata clementia: *eum (Flavianum) vivere nobis servarique vobis, quae verba eius apud vos fuisse pleriq. meministis, optavit.*

conciliantur et eius ope expletur. Flavianus cum secundum Rufinum Alpibus Iuliis videatur praesedit ibique primus ex ducibus Eugenii Theodosio occurrisse, eo rettulit Rossius<sup>1</sup> quod legitur v. 26 praefectum abiisse ad 'Iovis solium', nempe ad simulaera illa Iovis in summa Alpe Iulia adversus Theodosium constituta. nam ibi aedem Iovis fuisse veri non absimile est, maxime ubi compararis aedes Iovis Poenini et Iovis Apennini<sup>2</sup> similiter in summo monte collocatas. ita sine nimia exaggeratione Flavianus dici potest totum orbem lustrasse, scilicet dum Alpium itinera communis ibique hostibus se obicit; tertio autem post bellum coeptum mense eum occubuisse cum ex carmine intellegatur, auctores non adversantur, cum praesertim secundum Rufinum<sup>3</sup> mortem oppetivisse videatur, antequam Alpes superaret Theodosius et apud fluvium Frigidum (394 Sept. 6) cum Eugenio debellaret<sup>4</sup>. — *Tracta mors*, scilicet ea quae secuta est post longos cruciatus, quo referatur, ignotum est, cum de genere mortis hoc unum constet voluntariam eam quodam modo fuisse. — Denique inter heredes Flaviani esse potuit Symmachus oratoris filius utpote maritus neptis Flaviani, cui etiam post mortem domi statuam posuit. nam quamquam Flaviano heres ab intestato ne uxor quidem Symmachi fuit patre suo etiamtum vivo, tamen Flavianus potest progenerum testamento honorasse, ut fortasse eum Florae aedem reficere iuberet, Theodosius autem hereditatem propter crimen maiestatis commissam nihilominus testamento scriptis here- 363 dibus reddidisse.

Ad haec qui addet ea aetate, quam carmen indicat, satis in universum nobis nota nec motum alium nec hominem ullum reperiri, de quibus cogitari liceat, id quod diligenter persecutus est Morelius,

1) Lectionis constitutio tamen felicius quam Rossio cessit Morelio. nam *solum raptum* omnino recte hic rettulit ad Iovis adversus patrem Saturnum rebellionem iam antea v. 14 ei exprobratam, et quod summum est, non potest v. 26 significari victi Flaviani ad victorem adductio, cum hic indicetur scelus, propter quod punitur, poena enuntietur versu sequente. *trabeatus* denique optime dicitur dux idem consul.

2) cf. C. I. L. I [ed. 1] p. 267.

3) Nam post ea quae supra p. 361 n. 4 [p. 496 n. 4] rettulimus sic pergit: *ceteri vero instruunt aciem et collocatis in superiore iugo insidiis ipsi pugnam in descensu montis exspectant* et quae sequuntur. proelium hoc, quo debellatum est, factum est ad flumen Frigidum, hodie Wippach, XXXVI lapide ab Aquileia in latere ad Italiam vergente Alpium Iuliarum.

4) Quod si Hauptius recte ex *abisset fecit adisset*, verba intellegenda sunt de noto consulis processu die initi magistratus ad aedem Iovis optimi maximi (Liv. 21, 63, 8; cf. Becker in enchir. 2, 2, 124 [Staatsrecht I<sup>3</sup> S. 616]). [Vgl. C. Schenkl, Wiener Stud. 1, 1879, S. 73, der für Haupts Deutung eintritt.]

non dubitabit carmen referre ad Flavianum partis gentilium antesignanum, idque scriptum iudicare aut eo ipso anno 394 aut certe proximo. nam vivida rerum memoria in summa carminis exilitate et languore etiam magis elucet.

Hoc posito quae ex solo hoc carmine innotuerunt, ad eundem Flavianum referre licebit. ita obiisse eum natum annos sexaginta colligitur ex v. 67; hydropicum eum fuisse vel certe ab inimicis eiusmodi corporis habitum ei exprobratum esse ex v. 121. quae de uxoris eius pro eo invocationibus magicis traduntur v. 115 seq. ostendunt mulierem, de qua nihil praeterea comperimus, marito superfluisse. paullo maioris momenti est quod v. 38 Flavianus obiurgatur propterea, quod olim, id est ante Eugeniana tempora, vinum patriae prodiderit; quod si recte traditum accepimus, trahendum erit ad canonem vinarium ex Italia urbi Romae subministratum<sup>1</sup> a Flaviano, fortasse cum primum praefectus esset praetorio in Italia a. 383, aliqua ratione imminutum<sup>2</sup>. sed fortasse magis se commendabit legentibus Hauptiana emendatio, qua admissa Flavianus non vinum patriae prodidit, sed venum patriam, id est subvertit eam et pessum dedit malis artibus. quae sequuntur, immunt demolitiones nescio quas quove tempore factas plebi invisas. — Reliqua, quae ad res sacras magis spectant quam ad publicas, aut explicuerunt alii aut explicabunt, maxime insignes locos de feriis ea aetate in urbe Roma celeberrimis, ut de taurobolio v. 57—62, de Isiis (Oct. 28 — Nov. 1) v. 99—102, de dendrophoriis (Mart. 22 — 27) v. 103—109; de quibus quaedam in carmine leguntur alibi nusquam reperienda. nam ego mihi certe, puto etiam aliis nimium iam videor immoratus esse diris hisce infantiae piae.

---

1) Gothofredus ad C. Th. 14, 6, 3, cf. quae adnotavi ad edictum Diocletiani de pret. rer. p. 76 [Edictum Diocletiani ... ed. Mommsen-Blümner, Berl. 1893, S. 76].

2) Querelae Symmachi (ep. 7, 96), quod Longinianus Flavianum iuniorem propter vinarii tituli debita multarit, ad rem de qua agitur non pertinent.